

MATTSSON
DELWICH, JOHANNES VON

**Oratio de vera nobilitatis nota & optimo
ornamento : (Upps. 4 mars 1636)**

Upsaliæ
1636

EOD – Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 10 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400-till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
- Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
- Skriv ut enstaka sidor eller hela boken.
- *Sök:* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
- *Klipp & klistra:* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkoren på svenska: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 30 bibliotek från 12 europeiska länder denna service.


Mer information finns tillgängliga via <http://books2ebooks.eu> alla boken.

- <http://search.books2ebooks.eu/>

DELVVICH

F 1700 Ju. Sambo.
Pr 893 Före 1700
Lat Tab. vps.
(Bk)





UPS.

*S. Lund.
F. 1700
Litt. Mylat.
Sal. Univ.
(181)*

IOHANNIS DELVVICH
ORATIO

De


VERA NOBI-
LITATIS NOTA

& optimo ornamen-
to

Quam publice recitavit,

Upsaliae in Sueonum Academia
die III. Mart.

ANNO M. DC. XXXVI.



UPSALIAE

Excudebat Eschillus Matthiae, Acad. Typog.



Do. 04/579

JOHANNES DE WYVINGH

OLATIO

Notum & notandum

YERKAWYON

LIBRARIUS

et

...

...

...

...

ANNO MDCCCXXXV

...


...

UT

...



Handwritten numbers and scribbles



Nobilis. & maxime Strenuo
V I R O,

Dn. JUSTO TAUBE
Hæreditario in Wönnecorb &
Rudding S. R. M Castellano Dorpati. ejus
demque Territorij, militis præ-
sidiarij Præfecto.

Cum publicè beneficia tua in me summa, quæ sapius
sum expertus, quam ut satis æstimari possint, studio
meo testari vellem; aliter non potui, quam hac oratione,
tibi, iucundissime Parens, oblata ac consecrata. Hoc
grato animo partim, partim ex merito factum esse existi-
mes. Quippè sæpenumero mecum reputavi, eximium
illud & magnum esse quod mihi paterno tuo favore præ-
stitisti. Itaque quamquam offerre tibi tantum non va-
let animus, quantum desiderat, scire tamen debitum
suum expedit. Is beneficentiam tuam vix capit, quæ
persolvendi spem omnem abrumpit, voluntatem quidem
prolixam relinquit. Nam alioquin singulà tua ac e-
gregia latius persequerer, nisi verecundia, quam tibi
debeo, prohiberet. quorū omnia, commemoratione de-
fatigata, per se satis clara existunt. Præterea conscribere

aliquod orationis genus, de optimo Nobilitatis ornamento quod tuum fuisse censeo, non erubui. Hoc munus (licet in illo tenuitatem meam deprehendam) non immerito tibi tradi debuit; qui relictum generis splendorem quem singulariter contemplaris, summa virtutis ope retinere studes. Huic rei porro accedit, ut te inflamment quoque maiorum parta decora ac expressa vestigia: quæ imitari honestum, deserere indecorum putasti. Decet verò illustri genere natos, ut tales sint, quales videri cupiunt, & se ita gerant, ac si ab omnibus conspiciantur. Cum nihil foedius sit, nihil opprobrio magis obnoxium, quam avitum decus aut imminuere, aut amittere prorsus: neque quicquam contra gloriosius, quam ex nobilibus parentibus ortum, cum iisdem moribus consentire. Ne plura addam, rem silentio absolvam, & cæleste Numen implorare non desistam, ut te mortalitati diu superstitem, diu incolumem conservet. Vale, mi pater honorande, & conatus mei infirmitatem, æqui bonique consule. Dabam Vpsalix, XII Junij &c.

S. Pa.

Obsequentiss.

JOHANNES DELVVICH.



O R A T I O

Magnifice Dn. Rector, Illustres ac Generosissimi Comites & Barones, Consultifs. Excellētifs. Clarifs. Professores, nec non Nobilifs. Doctissimaque Studiofa Juventus.



S magnū cenfetur, Auditores, quod D E U S mundum fua condidit potentia; non ~~minoris æ~~ftimandum, quod eundem fua confervat atque gubernat fapientia.

Jdcircò cum intimius, qua datur penetramus res humanas, magnam miramque naturæ vim & rerum, licet genere vel dignitate vel præftantia diverfarum, concordet tamen difsimilitudines agnofcimus. Nam nihil in ijs quicquam oculos quo-

cunque convertentibus occurreret, quod per omnia cum cæteris sui generis sit idem, quod non aliqua formæ vel coloris vel genij diversitate ab alijs differat. Ut latere nunc Cælum, Elementa omnia & Sydera patiar; quorum ordines, virtutes, potentias, longè inter se discrepantes cernimus, & tamen suaviter convenire, motus ac operationes suas dulci harmonia conficere scimus; tantum in terra nunc subsistam & humanum illud genus nobis ob oculos ponam. In quo certè virtutis dignitatisve reperiri diversitatem haud exiguam credibile est: in quo censu alijs sua laude illibatâ, Nobilitatis ordinem colloco. Et ut in pauca multa conferantur, gens nulla, nulla natio est, quam natura non quodam virtutis genere alterâ eminentiori nobilitaverit. Quæ cum ita sint, Templo Delphico inscriptum fuisse fertur, Nosce te ipsum. Quod dictum nos monet ut nostram conditionem, quæcunque tandem sit, sedulo perpendamus & quamvis genere, divitijs alijsq; fortunæ bonis polleamus, tamen nos homines esse sciamus: & humanæ fragilitatis, cujus in rebus prosperis ac prolixis est proclivis oblivio, bona fide recordemur, & cujuscunque simus ordinis in eo moderate nos teneamus. Illud nosse te ipsum inter alios nosse etiam Nobiles oper.

oportet ; quod & etymon vocis quâ salutantur haud
obscure inuicetur. *Nobiles* enim dicuntur quasi *no-*
scibiles : non solum quod alijs, sed etiam quod sibi
noti esse debeant. Nam qui notus alijs ignotus
sibi, ille verè ignobilis est, licet coram mundo au-
diat nobilissimus. Proinde quæ sit genuina nota,
unde nosci possit verè nobilis, quod optimum ejus
ornamentum, brevi orationis filo deducere animus
est. Non equidem ignoro, & dicendi & tacen-
di observare tempora, veri sapientis esse. Quid
mihi, Auditores omnium ordinum spectatissimi, in-
tantorum hominum eruditorum conspectu expa-
vescenti faciendum arbitremini? Quia, quæ sin-
gula etiam disertissimis metum inferre Oratoribus
solent, ea nunc magis universa, partim ingenij
mei tenuitatem, partim eloquendi inopiam, per-
mere ita videntur, ut, quid prius, quid posterius
ad dicendum pateat, haud facile reperiam. Ego
tamen bonitate vestrà & benevolentia, quâ par
est, maximoperè fretus, hic me sisto, spe plenus,
vos verba ad vos facere conantem benigna atten-
tione dignaturos.

Compertum habemus non exiguum Nobili-
tatis nomen esse & æstimationem, primò ob digni-
tatem conferentium : quales sunt Imperatores,
Re-

Reges, Principes, qui in summo nobilitatis gradu constituti, tanquam fons rivos suos emittunt, ac in alios insignia equeſtria derivant. *Æſtimum* deinde etiam non leve Nobilitati accedit ab eximijs privilegijs & immunitatibus, quibus gaudent ac re ipsa fruuntur Nobiles, in Sessionibus Proceſſionibus & alijs ſolennitatibus, in oneribus publicis, tributis & exactationibus (niſi tempore neceſſitatis extra ordinem omnibus & ſingulis indicta neminem eximant) non adeò ſuſtinendis, in venationum jure, in præmiorum participatione, in poenarum mitigatione, & alijs hujusmodi beneficijs. Præterea non parum dignitatis confert nobilitati temporis antiquitas, ut poſſit ſtemma ab avis, abavis, atavis deduci & ad ſeram poſteritatem, non interrupta ſerie, laudabiliter propagatum oſtendi. Igitur præclare hoc à nonnullis traditum accepimus, nobilitatis dignitatem quò antiquiorem eſſe, eò laudem quoq; illius illuſtſiorem atque digniorem æſtimandam. Quippè illud quod optimum in humanis poſuit numen, idem antiquiſſimum ac ingenuam vetuſtatis indolem ſapere vulgò cenſent; imò præ alijs conſpiciendum, quatenus in ſe bonum non abs re judicant. His autem difficilior conditio eſt, qui in conſpicio, quam ijs, qui in obscuro demiffi, ætatem

tatem agunt : quia si quid hi mali commiserent, in multorum reprehensionem incurrunt, quorum fama atque fortuna pares sunt. Si quibus illi vitijs laborant, ipsa nominis obscuritate teguntur. Itaque non inique, ut reliquorum astrorum ille dux ac moderator SOL, cuncta, luce sua illustrans, longo post sese intervallo minores ignes relinquit, ita & illis, in conspectu omnium positus, cum generis gloria præcedant cæteros, majorem inde dignationem accedere putamus. Apud Ægyptios in domorum vestibulis alas vulturum proponere, indicium nobilitatis & vetustatis familiæ erat. Reges Lacedæmoniorum ad Herculem genus suum referebant. Verum quid multa recenseam, cum fiant sæpenumero ea, quæ à recenti sunt semota memoria, ipsa vetustate sanctiora, ut majus de ijs suspicemur, quam quantum ætas nostra consequi valeat. Sicut enim in singulis hominibus auctoritatem habet senectus, ita in nobilitate claræ gentis antiquitas. Verum enim vero hæc quamvis omnia externo splendore fulgeant, internus tamen & præcipuus nobilitatis splendor virtutis radijs coruscet. Nam & virtus effectrix Nobilitatis princeps est, certè esse debet. virtus vera Nobilitatis nota optimumq; ornamentum est. Cum solida nobilitatis auctoritas, non in divitiarum magnitudine,

B

quæ

quæ nec ab opibus dari, nec ab inopia adimi potest, non imprimis in majorum insignibus, non in generis splendore, ut tamen hodiè plerumq; fit, sed, quod arduum est, consequi, sua cujusque virtute potissimùm consistat: eam propterea, testante Aristotele, nullam ob causam aliam veneremur magis, quàm quòd meliores ex melioribus oriri existimantur. Quid plura, quàm res ipsa postulat, contendimus? Virtus est nobilitatis ipsius nobilitas, lumen & decus, virtus est, ejus dignitas, gloria & quàm omnia parta retinentur. Cujus tanta præstantia si careat nobilitas, non vivere sed quasi prorsus mori videatur. Et avita nobilitas nihil aliud esse censetur, nisi præcæ virtutis claritudo, alicui familiæ collata. Gloriantur nonnulli & se felices putant, cùm sibi applicant Divini Platonis placitum docentis, optimùm liberorum thesaurum esse parentum virtutem: & majorum gloriam posterorum lumen esse; quod etiam absque contentione facile asserendum est. Verum ad quid hæc proficere possint illis non video, qui paternis tantum titulis nitentes, virtutem, quia non imitantur, aspernantur. Ita profectò se res habet, quantò vita illorum præclarior, tantò horum se-cordia flagitiosior. Sicuti nihil perniciosius est, quam dignitatem quæstu, ordinem pecuniis, nobilitatem opibus metiri, ita non opinione nititur, sed

natura, nobilitas, quæ non aliunde, nisi ex virtute
 coepit. Neque solùm excelso loco natum, nobi-
 lem appellant, sed factis potius suis, vitâ honestè a-
 cta, suam nobilitatem probantem: cum ille ex alie-
 na virtute, hic ex sua sibi dignitatē gentis arroget.
 Nam cætera bona vel extra Nobiles sunt vel quasi
 alienum bonum in fortunæ arbitrio sæpe positum;
 at virtus suum cuiusque bonum est, quò licet antè
 obscurus tamen ex se quasi gignitur, & lumen in-
 fert clarissimum generi suo. Hinc Seneca præclare.

*Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familie
 sua longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris
 in parte prima adium collocant, noti magis quam nobi-
 les sunt. Item Non facit atrium plenum fomesis ima-
 ginibus nobilem, nemo in nostram gloriam vixit, nec
 quod antè nos fuit, nostrum est. Animus facit no-
 bilem, cui ex quacunq; conditione supra fortunam li-
 cet surgere. Et notum illud Juvenalis.*

*Tota licet veteres exornent undiq; cere
 Atria, nobilitas sola est atq; unica virtus.*

Hinc ergò, ut puto, satis constat, quisnam ve-
 rè nobilis sit? Nimirum cuius animus ad virtutem
 rectè compositus est, qui profligatis voluptatis &
 ignaviæ illecebris Herculeæ via ad veram laudem
 grassatur, vel per togata politiorum literarum,

Eloquentiæ, Jurisprudentiæ, vel per militaria studia strenuè exercita. Quibus artibus multi ad summum nobilitatis fastigium pervenerê nec minus his, quam illis eam quæsierê. Sunt verò plerique mortales, quibus plus arridet, virium aut corporis (ut ita dicam) quam animi vi, egregio facinore, quàm ingenij solertia famã consequi. Unde, despiciatui ducere literas solent; & de re nulla alia nisi militari, honorificè cum sentiunt, tum loquuntur. Sed, quod mihi lubet confiteri, in tanta copia rerum aliud alij naturaliter ostendit, quò pace vel bello clarum fieri licet. Attamen cognitum est, multos præclaros viros, de republica benè meritos, qui ingenio, arte, consilio polluerunt, opere domi egregio confecto, amplissimam nominis dignitatem obtinuisse, quèis virtutis admiratione Numa Pompilius, Lycurgus, Solon satis documenti fuerê. Ad hoc in prudentissima Atheniensium republica præter alios Themistoclem virum facundiã insignem, & Phocionem, rebus benè, utiliter, honestè gestis & virtute comitante suis nobilitatem peperisse; satis abundeque historiarum monumenta fidem faciunt. Hac etiam ratione ad nobilitatis culmen ascendisse Tullium Ciceronem Oratorum principè constat: cui melius videbatur, posteris esse nobilitatis initium & virtutis exemplum

plum, quam acceptam majorum gloriam turpi vita
commaculare. Quare cum cuidam novitatem
ipsi in contentione objectanti sic os obstruxisse
creditur. *Ego meis, inquit maioribus virtute mea
praluxi, ut si prius noti non fuerint, à me accipiant ini-
tium memoriae suae: tu tuam vitam, quam turpiter egisti,
magnas offudisti tenebras, ut, etiam si fuerint egregij
cives, certè venerint in oblivionem.* Cæterum non
defuerunt quoq; alij, qui Martem secuti, militari-
bus signis ac scientijs excellerent. Quibus Marius
sibi nobilitatis viam aperuit, ostendens, fortissimū
quemq; generosissimum esse. Omnes generosio-
res Romani Græcique, cum ad honores, ad nobilita-
tem contenderent, tantum nobilitatis decus se af-
secutos credidere, quantum virtute æquarent, &
alios, in quibus eadem reperiretur, ob eandem
ornarunt. Sed, ne aliena commemorando extolle-
re videar, fertilissimum hic dicendi campum, of-
fert maximus virtutis æstimator, quia summus ejus
sectator; sed æstimator non tam in se, quam in alijs
Rex Divus GUSTAVUS MAGNUS, qui etiam his in re-
gnis ob virtutis æstimationem ac remunerationem
viris eximijs Nobilitatem contulit. Nunc in eius
gloriosissimâ morte destinatum alijs debitumque
virtutum pretiū non exiguam fecit iacturam. Post-
quam vero hac de re disserendi occasio se infi-
nuat

nuat, intactum omninò relinquere nequimus, quod
soleant non imi subsellij homines contentionis fu-
nem ducere de utrisque studijs, undè maior Nobili-
tati gloria decusque accrescat. Quidam militare
studium, quidam togatum præferunt. Illi primas
partes militiae deberi putant, quod in armorum
tutela conquiescant omnia civilia bona Reipub.
& ipsa literarum incolumitas. Hi principem locum
assignant literis ac studijs politioribus, quod indè
rectè discatur, quomodo arma sint consilij & virtu-
te moderanda, & quantò animus corpore præstan-
tior est, tantò artem togatam, quæ ex animi cul-
tura proficiscitur animique viribus geritur, militia,
quæ ut plurimum corporis viribus administratur,
præstantiorem esse. Sed ego hanc litem meam
non faciam, potius mediam viam insistens statuo,
alterum alterius auxilio vigere, mutuasque sibi
operas tradere in commune bonū conferendas. Ut
autè undè digressa est paulū oratio mea, eò reverta-
tur, optimam notam & characterem, quò insigniri
Nobilitas maximè potest & debet, quod gemmis
auroque præfulget, virtutis lumen est.

Non autem satis est sibi quæsisse Nobilitatis
nomen, sed & quæsitum ut illustretur & conservetur
opera danda est. Id autem fit indefesso labore, per-
petuo virtutum exercitio, animumq; nonnunquam
qui.

quidem per honestum otium remittendo, nunquam
verò amittendo, aut à præclaris factis cessando,
vel infra ignavi asini operi succumbendo. Ma-
gnum quippiam est in naturæ bonitate situm, majus
in optimorum institutione ac doctrinâ, maximum
in rerum vſu ac exercitatione. Ingenium certè, in-
formatio, labor ac cura, cum ætate progressa, plu-
rimum potest, si mens ipsa, dux atq; imperator vi-
tæ mortalium eam dirigat ad amplectendam virtu-
tem, vitium contemnendû, bona sectanda, fugien-
da mala. Si causas, quæ huc nobiles invitent & a-
micâ vi trahant spectemus, earum summa est: ut
vitæ rationes benè felliciterque instituant: ut no-
mini generiq; suo, ut expectationi suorum paria
faciant. Nobilem enim simul & Generosum nomi-
namus, qui illustri loco natus à suo genere non de-
generat, sed relictam majorum gloriam suâ tuetur
virtute ac illustribus extendit amplificatque factis.
Neq; tanta est ea gloria, quam sibi quisquam me-
retur honesta suorum facinora imitando, quan-
tum illud est dedecus, si domesticæ laudis studium
omittat. Etenim Nobilitatem accipimus, gloriam
acquirimus, nascimur nobiles, gloriosi evadimus.
Quippè novi homines, quæis majores fuerê obscu-
ri, solo virtutis splendore illustriores iudicantur.
Nobili enim ac generoso, non ex majorum tantum,
quo-

quorum vestigia ingressus est, sed propria virtute maximum stat decus & existimatio. O nobilitatem, quam virtus habet comitem! O virtutem, quam nobilitas habet ducem! Quæ cum magna sint censenda, maius tamen quippiam esse mihi persuadeo, credo & vobis, & conservare & augere parta, quam comparare; iuxta notum versiculum.

Non minor est virtus, quam querere parta tueri.

Quocirca nobilitatem in magnis animis generosam excitare æmulationem, quam non modò ipsæ paternas virtutes aut æquent, aut superent, sed tantam in sese vim habere constat, ut ad aliorum etiam magnorum hominum gloriosa exempla accendantur. Quod de Scipione Africano, cum majorum facta intueretur, cognovimus; animum illius virtute incensum ad majora altioraque indies consecranda. Ac C. Cæsarem laude bellica ingentem, acriter ad virtutem inflammatum accepimus, animadvertensque in Herculis templo Magni Alexandri imagine ingemuisse; quod nihil à se memorabile actum esset in ætate, quam Alexander orbem terrarum subegisset. Quæ cum ita sint, maximam ipsi laudem merentur, qui legem quandam necessitatis sibi impositam intelligunt, ut virtuti, prudentiæ, mansuetudini studeant, ut in factis ac curis, suo nomine

ac ordine dignis toti sint, & sic esse quam dici ma-
 lint nobiles. Verum in quibus illæ egregiæ artes
 virtutesve, quibus est à maioribus parva nobilitas
 non elucet, ij potius fumosas imagines ac umbras
 nobilitatis, quam veram nobilitatem possident:
 in ijs præter nomen nihil est additamenti. Et qui
 perversis moribus imbuti, spontè splendorem fa-
 milix, quantum in ipsis est, adeò obscurant, ut ho-
 nestatis rationem nullam ducant, illi sub insignibus
 nobilitatis maculas dedecoris, sub humana specie
 belluinam gerunt naturam. Quemadmodum
 enim vera nobilitas, virtute remota, intelligi ne-
 quit; ita pecus homo esse incipit, si neglectis stu-
 dijs honestis, in curis tantum inanibus atq; pro-
 pudiosis ævum traduxerit. Quocirca fugiamus
 eorum ignaviam, qui satis habent majorum gloriæ
 atq; generi incubuisse, interim ventris saginæ de-
 diti sunt, & strenuitatem in evacuandis vastis &
 capacioribus scyphis, in domesticis digladiationi-
 bus in fastu & aliorum contemptu ponunt, juxta il-
 lud Salustij. *Superbia & contemptor animus com-
 mune nobilitatis malum.* Ad horum degenerum
 & Epicuri de grege porcorum exemplum vita ve-
 rè nobilibus componenda nequaquam est; ne vera
 nobilitatis nota amittatur & adulterina adsciscatur.

C

Si


Si enim isthæc facerent verè nobilem, omnes hel-
luones, bibones, pugiles, Thraſones eſſent nobiles,
iſſi verò nobiles in media nobilitate ignobiles ho-
minumque obſcuriſſimi forent. Quod autem
Saluſtius ſuperbiam & contemptorem animum,
commune nobilitatis malum facit, id videtur po-
tius odio quorundam ſic affectorum, quàm omni-
um nobilium protuliſſe, cum etiam inter eos, ut a-
liæ virtutes, ſic & modèſtia, comitas, humanitas re-
periantur, & quod aliquorum eſt, non poteſt omni-
bus in vniverſum adſcribi, nec Nobilitatis abusus
iſſi nobilitati impingi ac imputari. Extremum il-
lud eſt, ut animo agitemus amplitudinem fructus
ex aureo Nobilitatis dignè habitæ, excultæ & pro-
pagatæ fundo metendi, & vel hoc modo ad nobi-
liã facta patranda plenis paſſibus contendamus.
Quare ſedulò enitendum eſt, ne incorrupta nobi-
litas cum anima amittatur, ſicuti promiſcua cor-
poris & fortunæ bona, quorum idem initium & fi-
nis eſt; ne per vitæ dedecus ac infamiam pereat;
ne per ignaviam cum aliquo incipiat deſinacque;
Sed ut ad poſteritatem transmittatur, ut mortali-
tatis limitem egrediatur, & in natis natorum ſub-
inde effloreſcat, quod fiet per merita propagata-
rum & quaſi hæreditariarum virtutum, earumque
præ-


præmia debitos honorum titulos ac gradus, per
 quos ad existimationis fastigium ascendit nobilitas.
 O quam pulchrum est & propria & majorum par-
 ta decora retinere, atque sic verum Nobilitatis
 fructum decerpere! Cætera namque sunt angusta,
 fluxa, mortalia, erroris & inanitatis plenissima.
 Sola nobilitatis ornamenta, in virtutis delubro si-
 ta, ampla sunt, immortalia ac perpetua. Qui
 ergò laudem, qui dignitatem, qui opes ac fortu-
 nas quærit, in virtutis studio quærat & inveniet.
 Licet enim virtus non sit mercenaria, sed in se ipsa
 abundè præmiorum habeat, tamen qui præter illam
 externa insuper quærunt bona, etiam hæc tanquam
 ancillas suas istis Penelopes procis adjicit. Proin-
 de quisquis verè nobilis audire cupit, virtutis stu-
 dium habeat præcipuum: hac ratione viaq; con-
 veniet ipsi hujus nominis decus & amplitudo. Dixi,
 Auditores, non ut debui voluiq; sed ut potui &
 quantum mea passa est tenuitas. Mihi quidem
 fatis est demonstrasse nobilitatis indolem atque
 existimationem, cujus ornamentum, magnum
 quidem in antiquitate prosapiæ, maximum in vir-
 tute situm: ex qua ipse prosapiæ generisque
 splendor, ipsum nobilitatis initium, progressus &
 incolumitas petenda est. Isti quasi bis nobiles
 sunt

Sunt, qui genere illustres, illam dignitatis gloriam,
quam majorum virtute per manus traditam acce-
perunt, summa industria tuentur & laudis incre-
menta addunt. Nam si res magnas magnopere ve-
expetendas concupiscunt, patefactum ad laudem
cursum teneant; Laus autem vera in rectè fa-
ctis posita est. At rectè facta suos alumnos
& asseclas in dignitatis felicitatisq;
portu sistunt.

D I X I.







www.books2ebooks.eu